



PRÆCIPUA CAPITA
quibus
PÆDAGOGIUM
GLAUCHA-HALENSE

differt
a plerisque Scholis
publicis

HALÆ MAGDEBURGICÆ
M DC XCVIII.

I.

Numerus docentium magis est ad numerum discen-
tium accommodatus, quam in Scholis aliis. Sunt
jam 70. circiter discentes, quibus instituendis o-
cto Præceptores ordinarii præfecti sunt. Præ-
ter hos autem extra ordinem etiam adhibentur to-
tidem, vel plures, qui vel horis, quibus alumni otiantur, ordinem
custodiunt, vel Musicam, Calligraphiam, Arithmeticam &c. do-
cent. Succrescente numero discipulorum, numerus simul et-
iam docentium augetur: & ne labore nimio docentes obruan-
tur, quatuor per diem horæ singulis assignatæ sunt Præceptori-
bus ordinariis,

2. Præter docentes Inspector etiam Pædagogio præest, cu-
jus officium non in docendo; sed in dirigendo, visitando, exa-
minando, conferendo cum docentibus situm est.

) (1

3. Disci-



3. Discipuli noctu pariter atque interdiu præsentia fruuntur Informatorum. Conceduntur illis horæ à studiis rebusque feriis vacuæ; ne ingenia torpescant & obtundantur. Iis ipsis tamen horis adsunt morum Inspectores, quorum præsentia haud difficulter cavetur, ne in ausa temeraria ac vitiosa levitate animi, ac petulantia incidant. Sic iisdem cubiculis discipuli ac Præceptores utuntur: & quo minor ad clanculariam animorum corruptionem occasio sit, suus unicuique lectus sine socio datur. Nec cibum soli capiunt; sed ut moderate modesteque se gerant, a vescentibus una Præceptoribus subinde admonentur.

4. Horæ recreandis animis valetudinis gratia destinatæ iis impenduntur exercitationibus, quarum in vita communi usus esse potest. Sunt, qui ad opifices iisdem horis ducuntur, ut instrumenta varia, omniaque ad externum vitæ humanæ cultum pertinentia, oculis usurpantes, veras rerum formas animo comprehendant, vocabula minori negotio addiscant, ac solertius de omnibus rebus aliquando judicent. Sunt, qui studio mechanico, ut est pars Matheseos, & fundamentum omnium artium mechanicarum admoventur, discentes ita quasi aliud agendo, quæ plurimum afferre commodi toti reipubl. possunt. Sunt, qui a peritis Medicinæ studiosis, in hortos, agros, prata sylvasque deducuntur ad comparandam Botanices notitiam, qui deinde, quas collegerunt herbas, suis herbariis vivis inserunt. Hyberno vero tempore, habita tempestatis ratione, ad recreandos animos alia adhibentur, maxime vero ars tornandi. Interdum quoque interna corporum animalium structura in cadavere canino ostenditur: non enim sine fructu, quomodo intus comparatum sit domicilium suum, scrutatur homo, probe animadvertens, corpora quidem artificiosissime esse condita, ita tamen, ut in repentinæ mortis metu semper versentur. Sunt, quibus corporum naturalium historia, atque animalium oeconomia explicatur; & quidem non solum externa figura ostenditur; sed interna quoque rerum naturalium vis experimentis demonstratur. Sunt, qui Musicam docentur, in primis vocalem

lem, ut voce, Dei dono haud exiguo recte, a teneris uti discant. Hæc aliaque plura sunt, quibus alternatim alumnorum animi reficiuntur, triplicis spe fructus: primum, ut alacriores ad studia redeant; deinde, ut ab ineptis, ac interdum periculosis puerorum lusibus arceantur; tandem ut ornamenta studiorum, nec ea inutilia, mature sibi comparent, & nunquam minus, quam cum sunt otiosi, otiosi esse discant.

5. Disciplinæ Propædeuticæ cum universæ requirantur ad studia altiora, si in his progressus spondere feliciores velimus, ea hic initur institutionis scholasticæ ratio, ut non tantum lingvæ, Latina, Græca & Hebraica, sed etiam Historia, Geographia, Astronomia & quæ sunt alia solidæ eruditionis requisita, omnia (non simul tamen, ne obruantur ingenia) tradantur. Ubi id pariter commodi obtinetur, ut nunquam non grata puero- rum gustui condimenta seriorum præsto sint studiorum, matu- reque ponantur solidæ eruditionis fundamenta.

6. Examina solennia exacto quovis semper trimestri spatio instituuntur; cum non leve sit ad diligentiam incitamentum, si crebrius profectuum sit ratio reddenda.

7. Singulis hebdomadibus ab Inspectore convocantur In- formatores, monenturque, ut quos quisque novos Pædagogii deprehenderit, indicent, consiliaque conferant, qua ratione, melior iniri via & ad compendiosissimam methodum omnia, traduci possint: humana enim quotidie inpejus ruunt, nisi quotidie corrigantur.

8. Ad docendi in Pædagogio munus non adhibentur alii, quam qui luculenta jam pietatis, eruditionis, & doni didactici specimina dederint; nec pietatis minor, quam eruditionis ratio habetur.

9. Classes discipulorum secundum scientias dispositæ sunt & ordinatæ, ita ut unusquisque pro ratione eorum, quos in singulis disciplinis fecit progressus diversos, diversis in rebus nanciscatur commilitones, eos nempe, qui profectibus maxi- me sunt æquales, e. g. Si styli latini peritus est, ad primam in latinitate classem; idem si expers Matheseos, ad infimam sic admovetur; si mediocriter græce callet, in secunda forte Græca discen-

discipulorum collocatur. Quod longe consultius fit, quam si uni quis classi adscribatur, ubi alios longo post se intervallo relinquit, alios assequi non valet, ob profectuum in diversis disciplinis disparitatem.

10. In tradendis disciplinis ingenia superfluis ac jejunis contemplationibus non onerantur, sed qua fieri potest compendiosissima ad scopum via ducuntur: & cum more vulgari in scholis ad contemplationes rerum magis, quam ad actiones, pubescens ætas formetur; hic ad vitam rebus agendis idoneam, rei que cum publicæ, tum privatæ usui futuram omnia apprimè diriguntur; ut educentur Ecclesiæ, qui & laudabili exemplo ad alteram vitam præeant, & hujus vitæ miseriam prudentia queant levare.

11. Paterno affectu uti pueritia semper fovetur, omnis autè servilis educandi ratio, in scholis ut plurimum dominans, liberalia ingenia maxime corrumpit; ita hic a verbis non statim ad verbera festinatur: si vero summa castigandi adsit necessitas, paterno animo, præmissis admonitionibus, dilata ad tempus pœna a pueris sumitur; ne qui affectus, christiana educatione indigni, speratum illius fructum interpellent.

12. Cum post pietatem eruditionemque magna educationis pars in formandis moribus sita sit, tantum abest, ut ea susque deque habeatur, ut præcepta de morum elegantia, peculiari singulis hebdomadibus hora alumni tradantur; qui aliquam in iis rusticitatem prodiderint, moneantur; conversandique cum hospitibus honoratioribus crebrior iis suppeditetur occasio.

13. Leges etiam, Præceptoribus præscriptæ, singulis mensibus iis præleguntur; ne qua docentium mutatio, aliæve circumstantiæ, earum oblivionem inducant.

14. Denique ut animi Præceptorum sanctioris concordie vinculo quasi conglutinentur, & alii aliorum igne magis magisque incalescant, nec tamen ab humana solertia, sed a divina benedictione laborum fructum sperent; singulis hebdomadibus horam junctis Informatores precibus insumunt, certissimè persuasi, totius negotii cardinem in eo versari, si eas ardentibus pro alumnorum salute felicibusque in literis progressibus ad DEUM effundant.

Pom Yb 3688

ULB Halle 3
000 388 939



St.

VON





PRÆ
PÆI
G



U
ti
ja
ct
te
tidem, vel plu
custodiunt, ve
cent. Succre
iam docentiu
tur, quatuor p
bus ordinariis
2. Præter
jus officium n
minando, co

11 XZ.
PITA
IUM
SE

merum discen-
aliis. Sunt
stituendis o-
sunt. Præ-
dhibentur to-
ntur, ordinem
eticam &c. do-
erus simul et-
entes obruan-
nt Præceptori-
io præst, cu-
isitando, exa-
3. Disci-

